



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

63. An si finita forma antequam finiatur ablutio infans moriatur, sit adhuc baptizatus? Idem dicendum est de Sacramento Confitmationis, & Extremæ-vnctiois. Ex. p. 5. tr. 3. res. 17.
- 

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

# De Sacram. Baptismi. Res. LXIII. &c. 43

Sap. hoc supra lege do-  
ctinam, Re-  
fol. 5. & in  
tom. 2. tr. 5.  
Resol. 15. &  
recitatur  
in to. 7. tr. 2.  
et Resol. 16.  
& Nec valet  
Resol. non ef-  
fic. Et cum  
alio aliis  
DD. in to. 4.  
et Resol. 36.  
per totam.

**N**egativè respondent Scotus in 4. dist. 6. 9. 2. art. 2. Richard. dist. 5. art. 4. q. 1. Cajet. tom. 1. opusc. tract. 26. de collar. ordinis. Navarr. var. c. 22. n. 7. Zambranus de casibus occur. temp. var. c. 22. n. 7. & alij. Et ratio est, quia verba quæ sacramentum efficiunt, idem etiam significant, nisi autem cum verbis eodem tempore concurrat ablutio, falsa est enuntiatio verborum, Ego te baptizo. Ergo nihil efficitur, atque adeò invalidum erit sacramentum.

2. Sed mihi contraria sententia probabilior videtur, quam docet Henricus lib. 1. de Sacram. in genere. c. 9. n. 10. ubi sic alicubi: In conficiendis sacramentis generaliter requiritur quædam conjunctio, quia forma non actuatur materiam, nisi aliquantulum conjunctam, & præsentem, idque maxime curandum est in sacramento baptismi, sine quo nihil prodest aliorum sacramentorum receptio, & in sacramento Ordinis sacerdotialis, sine quo confertur ablutio, vel consecratio Eucharistia, ut dum quis aqua tingitur, vel dum tangit, aut acceptat vasa sacra, qui sacerdotio initiatur, debet minister proferre saltem partem aliquam verborum formæ, si tamen finita ablutione profert statim formam, vel finita forma ablueretur, censetur simul moraliter, neque est repetendus baptismus. Ita Henricus & post illum docent etiam hanc sententiam Villalob. in suam. tom. 1. tr. 4. diff. 2. n. 6. Layman in Theol. mor. lib. 5. tr. 2. c. 7. n. 5. ubi ait, satis esse ad valorem sacramenti, si moraliter, id est, secundum humanum agendi, & loquendi morem concurrant actio ministri, & proxima materia, videlicet ablutio, unctio, &c. sicut in simili verè dicere censetur, Ego bibo, qui poculum in manu capit, statim illud ori applicatur bibendi causa, neque enim credibile est, quòd Christus Sacramenta ad moralem hominum usum accommodata, metaphysico rigori adstringere voluerit.

3. Quamobrem quanta debeat esse conjunctio inter materiam, & formam sacramenti moraliter æstimari debet, & observari, ne fiat magna interruptio, ut ex modo agendi, & verba proferendi intelligatur unum alteri accommodatum esse: ita optime Layman, qui pro hac opinione citat etiam Victoriam, & Suarez, duo lumina Religionis Dominicane, & Societatis Jesu: sed pro curiosis ponam hic verba Vincentij Fernandez de Heredia in disp. de Sacram. in genere, p. 6. dub. 2. n. 8. ubi ita ait. Qui baptizatur, potest abluì in totum ante inchoatam formam, quinimò interposita brevi formula, exempli gratia, in qua possit (ut ita dicam) oratio Dominica recitari, adjici potest forma baptismi, & vice versa, quæ doctrina communis est sacramentis Confirmationis, Ordinis, & Extreme Unctionis. Ita ille. Sed hæc sententia videtur nimis laxa, ac proinde non admittenda.

## RESOL. LXIII.

An si finita forma, antequam finiatur ablutio, infans moriatur, si adhuc baptizatus? Idem est de sacramento Confirmationis, & Extreme Unctionis. Ex p. 5. tr. 3. Resol. 17.

§. 1. Quando verba formæ prolata sunt, sed ablutio continuatur, adhuc Paludanus in 4. dist. 3. quest. 3. ad fin. existimavit non haberi sacramentum ante perfectam ablutionem, seu ultimam immersionem, quod etiam docere videtur ibi S. Thom. art. 4. q. 3. ad 3. suaderique potest, quia

ad minimum pertinet determinare quantitatem materiae, & illi applicare formam: ergo quamdiu ipse continuatur ablutionem, censetur nondum applicuisse formam, sed adhuc intendere illam applicare ulteriori ablutioni; ergo donec perficiatur ablutio, non est integer baptismus, nec proinde sortitur effectum. Confirmatur primò, quia in consecratione minister potest determinare hanc, vel illam panis quantitatem, & consecratio non cadit nisi supra materiam ab ipso designatam: ergo in baptismò similiter potest determinare ablutionem, & supra illam solam cadet forma; sed eo ipso quod continuatur ablutionem, censetur totam illam determinare ut materiam sacramenti: ergo donec perficiatur, non est sacramentum perfectum. Confirmatur secundò, quia si peracta prima immersione, v. g. perfectum esset sacramentum, conferrétque suum effectum, frustra adderentur alia duæ: ergo donec accedat ultima, non consistit baptismus.

2. Sed his non obstantibus contrariam sententiam tenendam esse puto, quam tuetur Hurtadus de Sacram. Baptismi, dist. 1. diff. 6. Ochagavia de Sacram. tr. unic. de Sacram. Baptismi, q. 4. man. 9. Granadus de Sacrament. in 3. part. contr. 4. tract. 1. disp. 4. n. 14. ubi citat Suarez, Cajetanum, Sotum, Valentiam & alios. Nam eo ipso quòd finitur forma baptismi perficitur baptismus, antequam finiatur ablutio, si quando finitur forma, sit ablutio inchoata, quamvis post finitam formam perseveret, quia quæcumque pars ablutionis, ut pote homogenea, est vera ablutio: positus autem forma, & sufficienti materia, statim perficitur Sacramentum, ita ut non sit in potestate Ministri perfectionem sacramenti, seu sacramentalem significationem differre. Et idem sentiendum est de sacramento Confirmationis, & Unctionis, cum enim primò habetur Unctio sufficiens ad Sacramentum, & prolata est forma, intelligitur perfectum.

## RESOL. LXIV.

An ubi mutus, & orbatus manibus occurrunt, & infans est in articulo mortis, debeat ille abluere, & hic verba proferre, & sic dictum infantem baptizare? Et an hoc saltem sub conditione faciendum sit? Et si postea occurrat opportunitas, an etiam sub conditione Baptismus sit iterandus? Ex p. 3. tr. 4. Resol. 11.

§. 1. Negativè videtur respondendum, quia licet unus possit multos unica simul aspersione in casu necessitatis baptizare, ita duo vel plures non possunt simul baptizare, ut docent communiter Doctores, sed hoc accidit in casu nostro. Ergo.

2. Sed ait Fernand. de Heredia disp. de Sacram. Baptismi, part. 5. dub. 9. quia nonnulli graves DD. contrarium in hoc necessitatis conflictu sentiunt, non dedecet in casu proposito sub hac conditione interius concepta (si ita confexi Baptismus potest,) applicare baptismum, melius enim est (ut ne solus in hoc casu judicem) dubium baptismum, quam omnino nullum accipere. Cæterum, si infans ille mortis evaderet periculum, esset iterum sub conditione baptizandus. Ita Fernandez. Hæc sententia non videtur probabilis, cum DD. communiter oppositum sentiant.

Sap. hoc in duabus Resol. seqq. Et infra in Resol. 70. §. ult. & in tom. 3. et 1. Resol. 3. §. Secundo.

Sap hoc infra lege doctrinam, Resol. 78. & aliarum ejus anno.